



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Fructuosus E. M. 21. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

puero sanctiore spiritu visus est agi. Hic sub columbæ candore lectulum sæpenumerò Divi volatu ambire: hic postquam matri, quam ab eâ nascendo acceperat, vitam reddidisset, Dux ei in montem Olympum esse, speluncam hospiti monstrare, & à feris purgare. Ecquid porrò mirum, si post ipsum Numen, Angelum etiam tutelarem tam habuit familiarem? Nam iste victimum clienti suo ministrare; iste sub annum trecentesimum, cum vale jam parentibus divino jussu dixisset, opesque in pauperem turbam erogasset, ad tribunal Decii Imperatoris comes esse, testis virtuti clientis sui apud Superos, & præco futurus. Ibi Martyr à flagris, flammis, ferisque innoxius, occenti tandem carnificis ferro cecidit, monuitque non mentiri poëtas, qui ex Olympo ad cælos esse aditum canunt. Ex Martyrol. Rom. & Men. Græcis.

Delectatur Dominus Iesvs in gravitate vita, in cordum puritate, & in perfectione virtutum servorum suorum. Propriæ Angelicam conversationem tenere conuentur, quotquot cœlesti domino gratissimum desiderant exhibere famulatum. B.Laur. Just. de discip. Monast. Convers.

### S. FRUCTUOSUS E. M. 21.Ianuarii.

**I**BANT ab Æmiliano Præside missi lictores, qui FRUCTUVOSVM Tarragonis Episcopum in vincula abriperent. Non fugit hic, sed bonum se pastorem probaturus obviam etiam ivit lupis. In carcere vero constitutus signum scilicet exspectavit, quo currere ad immortalitatem juberetur. Jamq; feria VI. aderat, quâ Christus ipse martyribus mapam misit, cum FRUCTUVOSVS duobus stipatus comitibus ad rogam cucurrit. Ex itinere oblatum à

piis

piis haustum Christi exemplo respuit, jejunii sui etiam in morte tenax. Nudis pedibus flammis tamen insultavit, atque inde veluti pro rostris Christianos est adhortatus, oculos in æternitatem defigerent, non cruciatus breves. Jam vincula flammis soluta manus solverant, cum FRVCTVOSVS, explicatis in crucem brachiis, cælum spectare, cælum precibus pulsare. Et ecce panditur hoc, & Martyres (spectantibus triumphum impiis) inter flammarum globos, ad cælum evolarunt, coronis omnes insignes, indeque rident admotas nec quicquam à judice machinas. Tam illustrem itaque rogum non aquâ sed mero diluendum duxerunt Christiani; sed distinguere laborantibus sacra ossa, è cælo FRVCTVOSVS adfuit, vetuitque terris disjungi, quos cælum junxit. *Ex Surio.*

*Laborare non vis, qui utrūm vivas usque ad sene-ctam nescis: quare differs vocantem te, certus de mercede, incertus de die? vide ne fortè quod ille tibi daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo.* Aug. serm. 59. de verb. Dom.

## S. MENRADUS MART. • 21.Ianuarii.

**F**uit MENRADVS Suevici sanguinis Comes. Tirocinium melioris militiæ in Asceretio (Augiam Divitem dixere) posuit. Mox ex tirone miles, ex milite Dux castra in Eremum movit, semper inclytus victoriis ab orco reportatis; qui tam densâ quandoque acie casam oppugnavit militis nostri, ut suam diei cum sole lucem eriperet: sed solvit oppugnationem unicus bonus genius Custos MENRADO datus, qui cum alias sæpè, tum precanti imprimis visendus adfuit. Ita vitam solam agenti in annum XXVI. latrones gemini supervene-

C

pervene-